

Universitätsbibliothek Wuppertal

Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria, Historica, Critica

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Dedicatio ex altera editione Lexici Timaei

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1677)

DEDICATIO

EX ALTERA EDITIONE

LEXICI TIMAEI (*).

PLURIMUM REVERENDO ATQUE ERUDITISSIMO

VIRO,

HENRICO GALLY, S. T. P.

CANONICO NORWICENSI ET GLOCESTRIENSI, RECTORE

SANCTI AEGIDII IN CAMPIS, MAGNAE BRITAN-

NAE REGI A SACRIS, ETC.

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

*Quadriennium prope est, cum Joannem Albertum,
V. Cl., tum gravi morbo misere afflicium, pro artissi-
ma, quae mihi cum eo intercedit, necessitudine ad
Fon-*

[(*) Eadem est hujus, atque prioris editionis, et Dedi-
catio et Praefatio, paucis vel mutatis vel additis: quamobrem
operae pretium duximus utramque denuo repetere, praecipua
varietate enotata, ut fecimus item in Elogio Hemsterh. cu-
jus alteram edit. a. 1789. jam supra dedimus.]

Albertum] Ed. prior *Alberti*. De usu terminationis Lati-
nae in nominibus propriis monuit Cl. Mahnius Epicr. Bi-
blioth. Crit. p. 87.

Cum — comitabar] Quia tempus significatur, rectius quam
supra *comitarer*.

Fontes Spadanos comitabar. Cujus itineris duplicem uberrimumque fructum me cepisse, non mediocri cum voluptate recordor. Nam primum, quid jucundius mihi magisque exoptatum esse poterat, quam carissimum Musis animoque meo hominem corporis vires, quas vis morbi fregerat et debilitarat, salutarium aquarum usus recuperasse? Tum, quanta in felicitatis parte me ponere existimas, per hanc occasionem auspiciato notitiam inter nos esse contractam? Profecto nunquam ille dies memoria excidet mea, cum casu et fortuito in Te incidens, ignotus in ignotum, nescio quem de literis sermonem inferrem; tuque statim oculis, vultu, oratione eum laudatarum artium amorem ac scientiam proderes, nihil ut tam ardentem cuperem, quam ad intimum Tuam, si fieri posset, consuetudinem et familiaritatem admitti. Ac facilem mihi aditum reddidit, siue prompta humanitas Tua, siue morum studiorumque similitudo. Ex eo tempore nullus temere dies praeteriit, quin, quoad licuit, in amoenissimis ad fontem

Ge-

Mihi] Abest a pr. ed. quae mox pro *vis morbi* habet *atrox morbus*, et pro *recuperasse* praesens *recuperare*.

Tum] Olim *Deinde*: quod in ejusmodi distributionibus potius tertium locum sibi vindicat.

Per h. o. auspiciato] Supra, *ibidem* *notitiam* *faustis auspiciis*.

Tam — quam] Olim *aeque — quam*, quod e Plauto et Livio dedit Hadrianus Cardinalis de modis Latine loquendi p. 8. Ciceronis potius consuetudinem probavit Ruhnkenius.

Scientiam] Supra *peritiam*, eodem sensu.

Prompta] Supra *obvia*.

Geronsteram ambulacris de divinis humanisque literis sermones inter nos haberemus. Hic in Te cognovi admirabilem quandam doctrinae de Graecis Latinisque fontibus ductae copiam, eandemque cum acerrimo omnis elegantiae sensu conjunctam. Quod meum de Te judicium alter congressus noster, cum superiore anno Bataviam visebas, plane confirmavit. Jam quid dicam de singulari, quo flagras, bene de literis merendi studio, in quo Tibi comparare possum perpauco, antepone neminem? Non est, quod hujus rei argumenta repetam alius. Vel hunc Timaeum testem cito, quem, nullo merito meo provocatus, cum Parisiis ageres, ex bibliothecarum latebris protractum, et quam fieri poterat accuratissime descriptum, mihi edendum concessisti. Ac tantum abest, ut aut studium literas juvandi Tuum, aut erga me liberalitatem intra hos fines continueris, ut subinde alias veteris aevi reliquias, cum ex Tua, tum ex publicis Angliae biblio-

Ambulacris] Antea *xystis*, Graeco magis, quam Latino, vocabulo.

Doctrinae] Olim *solidioris doctrinae*. Cf. Or. de Gr. supra p. III. Quae sequuntur, *doctrinae de Gr.* — plane confirmavit, omnia hęc multo sunt melius et elegantius, quam in priore Ed. posita.

Jam quid — quo flagras, bene d. l. — comparare] Supra *Quid autem — Tuo d. l. praeclare — conferre*. Verbo mereri magis convenit *praeclare*. Cum Dativo Tibi rectius jungitur *comparare*, quam *conferre*, quod postulat *Tecum*.

Liberalitatem i. h. f. continueris] Antea *liberalitas* fecerit.

Cum ex Tua, tum] Supra *tam ex Tua, quam*.

*theis depromptas, non mihi tantum, sed amicis etiam
meis, earumdem literarum amore captis, prolixè sup-
peditaris. Plurimum quidem ornamenti Tibi aliquan-
do debebunt Herodotus, Orpheus, Phalaris, aliique.
Ego vero cum nihil aliud habeam, quo tot tam lucu-
lenta, in me collata, beneficia remunerer, Tuum Tibi
remitto Timaeum, a me, ut facultas tulit, expositum.
Hunc igitur explicata fronte, velim, accipias, Tibi-
que persuadeas, neminem esse, vel unquam fore, qui
liberalitatem Tuam aut gratiore animo prosequatur,
aut libentius crebriusque dilaudet. Vale. Dab. Lug-
duni Batavorum, Kalendis Maji, MDCCLIV.*

[Repetita Ao. MDCCLXXXIX.]

Sed amicis etiam] *Supra sed et amicis.*

Quidem — Tibi aliquando] *Antea sane — aliquando Ti-
bi.* Ob. praecedens ornamentum, equidem malim aliquando
Tibi.

In me collata — a me, ut f. t.] *Supra quae in me contu-
listi — mea qualicunque cura.*

